27

CONSOLATIO

AD ILLVSTRISSIMVM

D. SCIPIONEM

COMITEM

CASTROVILLANI &c.

Super exceſſu quem compleuit in Vmbria

IOSEPHVS IPSIVS VNICVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Excudebat Maſcardus, MDCXLIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Μουνογενὴς, ἀλλ' οὐκ ἐν τεύχεσι πατρὸς ἔπεσε.



Vnigena, at cecidit patrijs imberbis in armis.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ILL.ME DOMINE.

PROBAT Origenes pro paſſionibus animæ remedia habere ſermonem : *nam eſſe in eo nitrum, eſſe poam, quibus ſordes abluantur & vulnera curentur*. Potens huiuſmodi ſermonis nitrum opto nunc mihi dari à Deo, quo communem hanc & adhuc ſanguinantem plagam percuremus, quam nobis intulit dies illa, quæ tibi abſtulit rariſſimi exempli filium, mihi incomparabilem alumnum, toti denique Reipublicæ Chriſtianæ maximæ ſpei Tyronem. Hom. 13. in Hierē.

Non eſſe planctum ſupra planctum vnigeniti, grauiſſimumque eſſe illum humanorum affectuum, liquidò probat Scriptura: *Dixit autem Dominus ad Moyſem: Adhuc vnam plagam* (ἀφὴν, *tactum* legit Aquila & Symm.) *ego inducam ſuper Pharaonem & ſuper Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos hinc*. Significans mortem primogeniti, vel vnigeniti eſſe parenti intolerabilem. Chriſtus *Planctus vnigeniti.* Exod. 11.

ſtus Dominus occurrens funeri, in quo efferebatur filius vnicus, nequiuit perferre lacrymas
-uc. 7. orbatæ parentis: *Quam cùm vidiſſet Dominus* (ait Euangeliſta) *miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.* & continenter diuina voce & attactu reſtituit illum vitæ & matri ſuæ. Significatur & hìc immoderatio doloris materni in morte vnigeniti. Hæc quanquam vera ſint, non committendum tamen eſt viro prudenti, vt plus in ipſum poſſit tempus, quàm ratio. *Dies*, inquit Mimographus, *adimit ægritudinem hominibus*. Quod ſanè remedium relinquendum eſt vulgo: vir ſiquidem prudens in omni animi ægritudine non vtetur alio remedio, in omni periculo non alio telo, quàm ratione. Agè igitur & nos Illuſtriſſime Domine, aliquot conſiderationibus vel, vt loquitur diuinus Apoſtolus, *cogitationibus armemur*, quibus ſi percurare vulnus hoc non poterimus, certè leniemus.

Achilli Heroum pulcherrimo fortiſſimoque proficiſcenti ad bellum Troianum;

——————— *fatiCano venturi præſcia dixit*
Ore Thetis.

chil- ſ præ- rt glo- am ita.

O Fili mi ſi Troianos oppugnaueris, breuis erit tibi vita, ſed gloria immortalis; ſin autem abſtinueris, longa tibi erit vita, ſed ingloria. Hoc audito, Achilles præferens breui vitæ æternam

nam famam, profectus eſt ad bellum. Στρατευομένῳ δὲ Ἀχιλλεῖ ἐπὶ Ἴλιον προεῖπεν, ὅτι πολεμῶν μὲν Τρωσὶ, ζωὴν ὀλιγοχρόνιον κτήσεται, πλείστην δὲ τὴν δόξαν, ἀπεχόμενος δὲ τῆς μάχης, ἄδοξον μὲν βίον, πολυχρόνιον δὲ ἕξει. ὁ μαθὼν Ἀχιλλεὺς, δόξαν αἰώνιον ζωῆς προσκαίρου προκρίνας, ἐστράτευσεν. Hanc hiſtoriam citat Gloſſator Homeri vetus ad hos verſus:

Εἰ δέ τινα φρεσὶ σῇσι θεοπροπίην ἀλεείνεις Iliados
Καί τινά τοι πὰρ Ζηνὸς ἐπέφραδε πότνια μήτηρ. Π.

In his verbis Patroclus reſpicit iam dictam hiſtoriam: Si, inquit, ô Achille refugis Troianos inuadere propter oraculum maternum, quod tibi illo caſu Iouis verbis breuem vitam aſſignauit &c. Sed apertiùs hæc infra declarat idem Vates; vbi producit Thetin ita filium ſuum compellantem:

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι. Iliados Σ.

O fili, inquit, *celeri ſeu ſubito fato abripieris*. Reſpondit intrepidus Achilles:

Αὐτίκα τεθναίην, νῦν δὲ κλέος ἐσθλὸν ἀροίμην. Ibid.

Iam nunc, inquit, *moriar*, *modò adipiſcar æternam illam*, *quam mihi prædixiſti gloriam*. Non multùm à Ioſepho noſtro abludit Poëſis iſta: ſæpe ſæpius enim & ipſi & alijs de ipſo me prædicere memini:

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι.

Vitalis, inquam, non es Ioſephe. Ingenio præcoci erat Ioſephus & adeò præmaturo, vt

non

non immeritò poſſet & ipſe poſt D. Macarium παιδαριογέρων appellari, id eſt, in iuuenili ætate ſenilem prudentiam præferens. De huiuſmodi ingenijs dicebat Fabius: *Illud ingeniorum velut præcox genus non temerè vnquam peruenit ad frugem*; id eſt, ſolet præmori, vel ſtudia deſerere.

Talis erat nobilis ille puer Glaucias à Martiale & Statio decantatus & deploratus, qui & ipſe

——— *tota cecidit dolente Roma.*

Huic annos duodecim natò tam fidelis erat memoria, vt vtrumque Homeri Poëma ſtupentibus parentibus & magiſtris memoriter recitaret. Concludit igitur Martialis ipſius Epicedium probatiſſima gnome, quæ & in Noſtrum cadit:

Immodicis breuis eſt ætas, & rara ſenectus.

In armis verò non poterat vitalis eſſe Ioſephus propter *exuperantiam virtutis*, vt loquitur Tullius; & Virgilius:

O præſtans animi iuuenis! quantum ipſe feroci
Virtute exuperas &c.

Homerus alibi ἀγηνορίην ἀλεγεινὴν, *animoſitatem deplorandam* vocat. Alibi μένος, id eſt, virtutem, ait Gloſſator:

Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος.

O generoſe, perdet te virtus tua.

Maro tranſtulit, *Ardor:*

Dijne

Dijne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale? &c.

Hic Ardor ingens eſt & indomabilis in generoſis animis! Magna eſt autem animarum diuerſitas; quantum enim homines vultu & voce diſtinguuntur, tantum ingenij bonitate & docilitate (quæ φυσικὰ προτερήματα, ſiue *naturales prærogatiuæ* vocantur) inter ſe diſparantur. Δεῖ δὲ καὶ τοῦτο εἰδέναι, ὡς πᾶσα ψυχὴ πάσης ψυχῆς κατ' εἶδος διέστηκε, καὶ ὡς ὅσαι ψυχαὶ, τοσαῦτα καὶ εἴδη τῶν ψυχῶν ἐστίν· *Eſt autem & hoc ſcitu dignum* (ait Pſellus) *quamlibet animam à qualibet anima ſpecie differre* (quamuis hoc Pſelli dictum non omnibus probetur) *totque eſſe animarum ſpecies, quot ſunt animæ.* Quomodo autem & quare fiat, cùm reuerà mens vna atque eadem ex Deo & æqualiter omnibus hominibus tributa: *Faciamus enim* (inquit) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* Talis cùm ſit, ſecundùm inſtrumenti tamen formationem (inſtrumentum verò mentis eſt cerebrum) operationes tam diuerſas proferat homo, vt, verbi gratia, alijs plus inſit intelligentiæ, alijs minus; & alij prorsùs mente ſint capti: rurſus cur alij ſint robuſti, alij debiles; alij audaces, alij timidi; alij morbidi, alij ſani; alij longi, alij breuis æui. Ne quis fortè blaſphemum quid contra iuſtitiam diuinæ œconomiæ ſuſpicetur vel proferat, legat

Ardor iuuenilis.

In Prolegom. Cyrilli Alexan. To. 6.

elegantem & doctam Zonaræ hac de re Epiſtolam.

Hunc generoſarum mentium impetum præſcripſit Poëta noſter in Aſcanio, quem producit adhuc puerum obequitantem in venatione regia, & vltra vires iuuentæ, contemptis leporibus, capreis & ceruis,

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Ecce Aſcanius adhuc puer optat ſibi aprum vel leonem occurrere. Et Ioſephus noſter illi æqualis, anno ſuperiore Bononiâ mihi ſcribebat: *Nos*, inquit, *hic deſidemus, neque adhuc hoſtem vidimus; & vereor viſuri ſimus, quæ res vitam mihi inuiſam facit*. Ecce etiam Ioſephus, *Optat aprum* &c. Ego animoſitatis illius conſcius, & iam tum ipſi timens, monebam per literas:

Cautiùs vt ſæuo vellet ſe credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum noua gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine poſſet.
Primitiæ iuuenis miſeræ, bellique propinqui
Dura rudimenta.

Martial lib.6. Epi. 25 Memini me inſuper conuenientiſſimum ipſi Epigramma reſcribere, quod olim Valerius ad Marcellinum adoleſcentem nobilem & tyronem:

O Io-

O Ioſephe boni ſoboles ſincera parentis &c.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes,
Tu potes & patriæ miles & eſſe decus.

Preſſiùs aptiuſque ad thema noſtrum idem Poëta repræſentat Ardorem hunc generoſorum animorum in eodem Aſcanio. Qui cùm eminùs iaculo Numanum traiecisſet, ſucceſſu lætus volebat in hoſtes erumpere, idque tantâ vehementiâ, vt viſum fuerit Poëtæ Apollinem cælo deducere; quod ſanè faciendum non eſt, niſi maxima neceſſitate, monente Flacco in Arte: Æneid. 9.

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

Demittit igitur ſe Apollo:

Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit ſatis Æneide telis impune Numanum &c.
Cætera parce puer bello.

Hac inhibitione non contentus Apollo, voluit inſuper ſe Proceribus Troianis manifeſtare:

Ergo auidum pugnæ dictis, ac numine Phœbi
Aſcanium prohibent.

Per hæc omnia docet ſummus Vates, iuuenilem hunc Ardorem non poſſe, niſi diuinâ potentiâ compeſci. Fruſtra igitur conatus fuit ſæpius ignem hunc monitis ſuis temperare Henricus Fromontius Leodienſis, quem Pater longo vſu

fidelem expertus addiderat Ioſepho comitem & cuſtodem;

——— *ſed non felicibus æquè*
Tum comes auſpicijs caro datus ibat alumno.

Ab hoc aliquot ante exceſſum diebus petierat Ioſephus, in quibus partibus humani corporis plaga eſſet maximè καιρία, ſiue mortalis? Reſpondit Fromontius, à planta pedis vſque ad verticem omnem plagam poſſe eſſe mortalem;& non hoc tantùm, ſed & robuſtiſſimum quemque etiam non tactum, ſed afflatum violentâ illâ aëris diuerberatione, quam ſolet facere globus à tormento maiore excuſſus, ſubitò extingui. Monebat hæc Henricus, quia verebatur Alumnum ſuum nimium fore animæ magnæ prodigum.

Hic Ardor tantus erat in Ioſepho, & deſiderium tam vehemens videndi hoſtem, vt autumem ipſum Bononiæ eapropter in morbum tantùm non lethalem incidiſſe. Nam quòd morbi vel omnes, vel plerique ſaltem & maximi naſcantur ex mutatione ſpiritus & in alienum à natura ſtatum degeneratione, medicorum nemo diffitebitur. Ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος εἶναι τροπῆς καὶ διαφορᾶς συμβέβηκεν, ait Iulianus. Quod videtur mihi ex Platone deſcripſiſſe, apud quem Socrates idem probat: Πάντα γὰρ ἔφη ἐκ τῆς ψυχῆς ὡρμῆσθαι καὶ τὰ κακὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ τῷ σώματι καὶ παντὶ

Aegritudines ferè ab animo.

Orat. v.

Plato Charmide.

τῷ

τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ ἐκεῖθεν ἐπιῤῥεῖν ὥσπερ ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τὰ ὄμματα. Δεῖν οὖν ἐκεῖνο καὶ πρῶτον καὶ μάλιστα θεραπεύειν, &c. *Omnia namque vel bona vel mala ab anima in corpus & hominem totum manant, indeque ſimiliter vt ex capite in oculos effluunt. Illam igitur primùm & maximè curari iubet.* Et ſanè hoc Platonis ordine, diuinus animarum & corporum Medicus in Euangelico Paralytico, primò animam ipſius à peccatis, deinde corpus à paralyſi abſoluit. Auerſabatur ocium Ioſephus vt qui maximè, ferebaturque toto ſpiritu ad actiones præcipuè Martiales. Deſidere igitur Bononiæ abſque libris & aduerſarium non videre erat ipſi odioſiſſimum. Cœpit igitur languere, & deinde languor melancholiam, melancholia morbum grauiſſimum inflixit.

Vid. Poëm. Card. Barber. & Comment. Pag. 107. & Seq. Edit. Rom:

Exceſſum Ioſephi dum voco, ſequor diuinum Euangeliſtam: *Moyſes* (inquit) *& Elias viſi in maieſtate, dicebant exceſſum eius* (Chriſti) *quem completurus erat in Hieruſalem.* Exceſſus Chriſti erat exceſſus amoris. Ipſe baptiſmum ſanguinis appellat: *Baptiſmo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vſquedum perficiatur.* Exceſſus Ioſephi fuit exceſſus, ſiue exuperantia virtutis. Coarctabatur Chriſtus vſquedum pateretur; coarctabatur Ioſephus vſquedum Chriſtum videret. Raptus eſt igitur dilectus &c.

Luc. 9. Luc. 12

O'ν

Ὃν γὰρ Θεὸς φιλεῖ ἀποθνήσκει νέος·

Quem enim amat Deus, moritur iuuenis, ait Menander. Probat Porphyrius teſte Cyrillo: Θεὸς δὲ εἰδὼς τὸ μέλλον, φθάνει πολλάκις τοὺς μὲν δι' εὐσέβειαν ἔτι νέους τοῦ βίου προεξάγων &c. *Deus autem qui futura norit, alios quidem propter pietatem etiam iuuenes vitæ præripit &c.* Ac vt in damnatis Lex eos priùs occidit, qui minùs noxij ſunt, & minùs peccarunt; deteriores & fortiores animo, ſpectatores alienæ mortis priùs fiunt, quàm ſuam experiantur: ſic quos Diui diligunt, non ſpectatores relinquunt, ſed præcurſores faciunt; vbi non alicuius inſignis vtilitatis cauſa aut ſuis, aut mundo conceduntur. Denique cùm nihil in malis atrocius ſit diuturnâ atque certâ expectatione; ſenectus vtrumque ferens cùm venerit, optare facit, vt quiſque iam ſe mortuum in iuuenta cupiat. Quod igitur ſerò & inutiliter tunc quæritur, ſi maturè eueniat, boni conſulendum eſt. Neque eapropter iuuenis videri debet deceſſiſſe Ioſephus; non enim eſt hominis vita ab annorum multitudine breuis aut longa dicenda; omnis enim mortalium vita breuis eſt, quòd morte certiſſima claudatur. Quod adeo verùm eſt, vt non ſolùm omne tempus hoc, quo ſinguli viuimus, ſed etiam totum illud, quod vtrumque Chriſti aduentum intercurrit, *Modicum* Veritas appellet. Facit

S. Cyril contra Iulian. lib. 3.

vir-

virtus & geſta vitam breuem longam eſſe; ignauia omnem ætatem contrahit. Vtrumque probat Iuppiter Virgilianus:

——— breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vita: ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Vtrumque ſibi propoſitum conferebat Ioſephus. viuebat tam timoratè, quaſi quotidie moriturus. Nam qui ſolet viuere ſine metu mortis, ferè moritur ſine ſpe vitæ. Sciebat neminem poſſe præſentem diem bene tranſigere, niſi qui propoſuerit ſibi illam ſupremam fore: Οὐκ ἔστι τὴν ἐνεστηκυῖαν ἡμέραν καλῶς βιῶναι, μὴ προθέμενον αὐτὴν ὡς ἐσχάτην βιῶσαι. Quod nobile Muſonij dictum tranſcripſit Flaccus noſter:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Solebat Ioſephus ſingulo ſabbatho ſiue hebdomada Sacerdoti ſe oſtendere, & ἀθανασίας φαρμάκῳ, *immortalitatis antidoto* (ita S. Euchariſtiam vocat D. Ignatius) ſe renouare. Et quemadmodum Mithritates frequenti vſu à ſe inuenti & dicti alexipharmaci corpus ſuum contra venena taliter munierat, vt etiam cùm vellet ſe veneno extinguere, nequiret: ita Ioſephus aſſiduâ ſacrorum Chriſti myſteriorum Communione reddiderat animam omni peccati veneno inoffenſibilem. Illo etiam ipſo die qui illi fatalis fuit, ſeſe expurgauerat & ſpiritualem Menſam

Digitized by Google

acceſſerat, atque ita alimonio immortali participato, „τροφῆς ἀθανάτου γενόμενος μέτοχος,“ occurrit Chriſto Domino. Quicunque enim ex hac vita ſunt migraturi, ſi pura conſcientiâ participes facti fuerint ſanctorum Chriſti myſteriorum, Angelorum ſatellitio muniti abducuntur, propter illud omnino quod perceptum eſt:
Vid. Cyrill. To.6. loco cit. Ἔνθεν τοι καὶ ἐκδημεῖσαι τῆς ὧδε μέλλοντες, ἐὰν τύχωσι μετασχόντες ἐν καθαρᾷ συνειδήσει τῶν ἁγίων τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων, ὑπ᾽ Ἀγγέλων δορυφορούμενοι ἀπάγονται, δι᾽ ἐκεῖνο πάντως τὸ ληφθέν. Non mortuus eſt igitur Ioſephus, ſed tranſiuit ad meliorem vitam.

In tantum verò Ioſephus non timebat mortem, vt videatur ipſam potiùs accerſiuiſſe, quod quomodo & quare fiat, paucis explicandum eſt.

Cyrill. Collect. To.6. Ἐκέλευσεν ὁ διὰ Μωσέως νόμος μὴ ἐξελθεῖν εἰς πόλεμον, μήτε τὸν οἰκοδομήσαντα οἰκίαν καινὴν καὶ μὴ ἐγκαινίσαντα αὐτήν, μήτε τὸν φυτεύσαντα ἀμπελῶνα καὶ μὴ εὐφρανθέντα ἀπ᾽ αὐτοῦ, μήτε τὸν μνηστευσάμενον γυναῖκα καὶ μὴ λαβόντα αὐτήν, μήτε τὸν δειλὸν τῇ καρδίᾳ. Τύπος δὲ τοῦ &c. *Iuſsit Lex per*
Deut. 20. *Moyſem* (inquit diuinus Scriptor ab Alexandria) *ne ad bellum procederet, neque qui nouam domum ædificauit, & eam non dedicauit: nec is, qui plantauit vineam, & ex ea non eſt lætatus: neque qui deſpondit vxorem, & eam non accepit: neque eum qui eſt timidus corde. Figura autem eius qui habitationem, non autem incolatum præſentem vi-*

tam exiſtimat, eſt is qui nouam domum ædificauit: auari autem & lucri cupidi, is qui plantauit vineam: carnem autem amantis & libidinoſi, is qui deſpondit vxorem. Aut etiam aliter: Primus quidem eſt figura ambitioſi & gloriæ cupidi: Secundus autem, auari & pecuniam amantis: Tertius autem voluptarij. Per hæc autem tria indicabantur tres generales ſpecies vitij. Timidus enim his tribus diuiditur. Timidi enim ſunt omnes, qui his ſunt obnoxij. Neque ſolùm ij fuerint reprobi ad bellum, quod cadit ſub intelligentiam, ſed etiam alijs auctores timoris & fugæ. Eos enim auertit dictorum vitiorum habitus, & corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et ideo magnus Paulus eos increpans, qui prohibebant, ne aſcenderet Hieroſolyma, dicebat: Quid facitis flentes & contereutes cor meum? Ego enim non ſolùm vinciri, ſed etiam mori ſum paratus pro nomine Chriſti.

Miles, qualem requirunt diuina Oracula, & deſcribit Cyrillus, erat Ioſephus. Eundem breuiter laudat Romana Lyra:

Qui morte peius flagitium timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Verè, inquit Flaccus, quiſquis timet peccatum, non timet mortem: & contrà, quiſquis timet mortem, non timuit peccatum: ſine peccato enim non eſt mors.

Militiæ tria genera. Iamque liceat & mihi poſt Cyrillum, milites omnes Chriſtianos in tres claſſes dirimere. Primum genus illorum eſt, qui charitate ſeruentes & vitâ innocentes, parati ſunt omni horâ ad mortem. Tales licet eſſe deberent omnes non ſolùm milites, ſed etiam pagani, quicunque Chriſto nomen dederunt (ipſe enim iuſſit nos omni horâ eſſe paratos & ipſum expectare) maximè tamen hoc conuenit militi, qui profitetur ſe mortem pro Patriâ non expectare ſolùm velle, ſed inſuper ad Ducis imperium ſemper & vbique præuenire; animam Deo non tantùm reddere, ſed prærogare; debitum naturæ non tantùm ſoluere, ſed repræſentare.

Boni.

Huiuſmodi planè erat Ioſephus noſter: nam paucis antè profectionem ſuam diebus, cùm de more Muſæum meum intraſſet, aſtantibus fortè Perilluſtri & Clariſſimo Viro Michaële du Prè Gallo I. V. D. Illuſtriſſimi Comitis conuictore; & Lamberto Faleſio Leodienſi, eidem Comiti à ſecretis; interrogatus vnde veniret? Reſpondit ſe à Pœnitentiario venire. Cui alter: Nunquid, inquit, die Dominica idem feceras? Reſpondit Ioſephus: Licet, inquit, cenſeam Chriſtianum omnem ad mortem ſemper paratum eſſe debere; mihi tamen amodò cenſeo Eccleſiæ Sacramenta crebriùs percipienda; quia debeo in poſterum non ſolùm expectare,

ſed

ſed etiam mortem inuadere, & Iudicem non opperiri, ſed quotidie occurrere. Hi tales ſunt veri milites, ſed oppidò quàm rari. Hi quærunt ſolùm victoriam & gloriam, non prædam. Nam quemadmodum non eſt bonus artifex, qui magis adſpirat ad lucrum, quàm artem: ſic æquus miles non eſt, qui potiùs ſpectat ſpolia, quàm victoriam. *Non poteſt quiſquam*, inquit Seneca, *eodem tempore & bonum virum, & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum inſatiabilia ſatiabuntur? Quid habebunt, ſi ſuum quiſque habuerit?* Longè difficiliùs eſt hodie & bonum virum, & bonum militem agere in miſerâ & peruerſâ hac temporum conditione, in qua probitas pro fatuitate contemnitur; dolus pro prudentiâ colitur; in qua boni milites non habentur, niſi blaſphemi, ſacrilegi, incendiarij, inceſtuoſi, vinolenti, raptores &c. Næ ille rem magnam præſtat, qui inter huiuſmodi viros tenorem innocentiæ ſeruare poteſt. Sanè quemadmodum de iuſto Loth ſcribit Apoſtolica Petra: *Iuſtum*, inquit, *Loth oppreſſum à nefandorum iniuria ac luxurioſa conuerſatione eripuit; aſpectu enim & auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant*. Videtur non obſcurè innuere Apoſtolus genus eſſe quoddam martyrij viro iuſto: huiuſmodi hominibus con-

De Benefic. lib. 4. c. 37.

2. Petr. 2.

uerſari, vbi neceſſe ſit quotidie blaſphema audire, infanda cernere.

Mali milites. Alterum genus militum eſt, quale iam ferè deſcripſi, planè oppoſitum primo. In his nulla eſt charitas, homines ſunt flagitijs cooperti, æris ſui prodigi, alieni cupidi: hi ſanè mali ſunt milites: neceſſe eſt enim illos eſſe timidos corde; quia *impius*, teſte Scriptura, *fugit etiam nemine perſequente*. Horum maxima eſt turba; neque longè exempla ſunt petenda, quia illis iamdudum vſque ad nauſeam plena eſt Europa. De his verum eſt vulgatum illud:

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.

Hi poſteaquam Dei longanimitatem fatigauerunt, tandem perurgentur ab ipſius Iuſtitia in mutuas cædes, vt ſimul mali malè pereant. Etenim ſi quis Chryſippus vellet rem hanc ad calculum reuocare, ſeu rationes conferre, quotnam interierint hinc inde milites his mutuis Europæ bellis, deprehendet meo iudicio, quòd hactenus ferè,

Iam grauis æquauit pugnas, & mutua Mauors
Funera.

De hoc militum genere rectè olim Philemon:

Στρατιῶτα κοὐκ ἄνθρωπε καὶ σιτούμενος
Ὡς τὸ ἱερεῖα, ἵν' ὅταν ᾖ καιρὸς, τυθῇς·

O mi-

O miles, non homo, qui paſceris, quemadmodum victima, vt cùm tempus fuerit, immoleris. Innuens homines militando ab omni humanitate deſciſcere; milites, non homines vocat.

Tertium quoddam eſt genus militum medium, quos ego Tepidos appello. Hi Fide quidem ſunt Chriſtiani, ſed non operibus. Hi cauteriatam circumferentes conſcientiam ad caſtra profecti, poſtque ad prælia ventum eſt, incipiunt trepidare & Pœnitentiarium requirere. Huiuſmodi erat olim Tribunus ille; Agebatur de recuperanda certa Inſula in ora maritima. Obſeruandus autem erat refluxus maris, vt fretum poſſet vadari, ibi cùm miles eſſet in procinctu, bonus ille Tribunus cœpit cauſari inquietam conſcientiam, ac proinde exomologeſi priùs eſſe pacandam. Hoc dum facit, vel propter timorem ſimulat, relapſum eſt mare, & amiſſa rei bene gerendæ occaſio. Huiuſmodi erant & iſti legionarij, qui cùm ducerentur ad recuperationem certi oppidi, ſiue veriùs portus, reſtiterunt, & cœperunt quærere Pœnitentiarium. Hac trepidatione & morâ factum eſt, vt dictus portus & Inſula retineantur à Neptuni filijs vſque in hanc diem. Hi mali ſunt milites, mali duces. Oportet enim vtrumque ſemper eſſe paratiſſimum, non ſolùm propter conſcien-

Medij ſiue Tepidi.

tiam,

tiam, ſed etiam propter ipſum τοῦ πολέμου παράλογον, vt loquitur Thucydides; id eſt, temerarios & repentinos belli caſus. ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δ' ἀφ' αὐτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον· *Bellum enim minimè certum aut præſcriptum aliquid habet; ſed ipſum per ſe multa machinatur pro re nata.* Miles igitur qui diſtulit & contulit commiſſa piacula in mortis vſque diſcrimen, cùm iam intus à conſcientiâ, deforis ab hoſte turbetur, fieri non poteſt, vt ſtrenuè rem gerat. Non ita Ioſephus noſter, non ita: nam ſemper militiæ domique tanquam in ſtatione vixit, paratiſſimus ad mortem. Iamque quia huc me detulit narratio, conabor etiam ipſum Ioſephi exceſſum,

Quanquam animus meminiſſe horret, manus ipſa refugit,

Paucis deſcribere. Paucis inquam, quia ſicut olim de Prometheo narrant fabulæ, lutum ab ipſo, quo hominem effinxit, non maceratum fuiſſe aquâ, ſed lacrymis: ita profectò quisquis hæc leget, ſciat atramentum hoc non tam aquâ, quàm lacrymis eſſe temperatum.

Mors Ioſephi Comitis. Poſtridie Non. Septemb. die heu mihi ſemper atros ac nefaſtos inter ob iacturam deſideratiſſimi Alumni numerando! Ibat Ioſephus noſter cum parte lectiſſimorum equitum, peditumque ex caſtris Eccleſiaſticis: erat autem

ag-

agmen illud conflatum ex bis mille peditibus, & quingentis equitibus. Profectionem verò agminis noſtri ex Curtiani caſtris, & hoſtium ſtratagema, & quidquid interceſſit Ioſephi occaſum, à me Lector expectare non debet. Qui fortè requiret, legat Orationem funebrem Felicis Verduccioli Peruſini, quam ipſe in funere Ioſephi tantùm non extemporalem dixit; inuenietque ibi iſta omnia non ſolùm facundiſſimè propter Viri quam iampridem in Patrio Auguſto Peruſino Gymnaſio profitetur Eloquentiam, ſed etiam veriſſimè propter viciniam declamata. Iſta enim omnia ab alta Peruſia ſi non deſpici, certè exaudiri potuerunt. Ioſephus igitur & belli furtò, & hoſtium multitudine circumuentus, non videns effugium, elegit potiùs generosè mori, quàm hoſti ſe dedere. Quod non fecit ſine magnis Heroum & militum exemplis tam nouis, quàm antiquis. L. Cotta Legatus Cæſaris ab Eburonibus circumuentus & ſaucius, cùm ad deditionem & à ſuis, & ab hoſtibus inuitaretur, *negauit ſe ad armatum hoſtem iturum*, atque in eo perſeuerans, fortiſſimè pugnans interfectus eſt. Bello Bohemico Carolus Comes Bucquoius Strategus & Belgarum decus ab Hungaris circumuentus; cùm poſſet deditione vitam redimere, renuit, & equo deiectus ſtetit, & dextrâ gla-

De bello Gall. lib. 5.

Cotta mortẽ deditioni præfert.

Item Carolus Comes Bucquoius.

gladium vibrans, ſiniſtrâ ſclopum, multis aduerſis vulneribus acceptis inuictum ſpiritum emiſit. Nuperrimo ad Raucroiam prælio, Hiſpani & Belgæ pedites veterani, iam ab equitatu, à Duce & fortuna deſtituti, cùm à victore Gallo inuitarentur ad deditionem, exclamauerunt: *No queremos, no queremos*. Et ipſi quidem pugnantes pro Rege & patria, animam eodem quo conſtiterant loco, poſuerunt. Et Ioſephus noſter in ſimili quaſi indagine & agone deprehenſus, memor alti Maiorum ſanguinis, & recordatus viuificæ Communionis, quam eodem mane in celebri Montis Iouini templo, in cuius conſpectu pugnabat, perceperat, hac vel ſimili cogitatione ſe præmuniens & confirmans, prorupit: *Chriſte Saluator, tu dixiſti: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. miſerere mei, & da mihi amodò non ſolùm propter te, ſed tecum & in te æternùm viuam. Moriatur anima mea cum Philiſtijm*. Nec mora, incenſo calcaribus equo ferebatur in hoſtem.

Pugna ad Raucroiam.

Ioſephus 18 annorū ſe deuouet pro Eccleſ. Rom.

Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

Sic delatus in obuium quendam, qui inuitabat ipſum Germanicè ad deditionem, abhorrens iſtum ſermonem, iugulum loquentis gladio trajecit, & exanimem equo deiecit. Et vt omnem

ſpem,

ſpem pacis hoſti adimeret, exclamans: *Viua la Chieſa*, cùm vndique quaſi imbre lethiferarum glandium peteretur, feruente plumbo cerebrum tranſuerberatur, & in puncto ex equo armatus & exanimatus defluxit in terram;

Αἵματι δ' οἱ δεύοντο κόμαι καὶ τεύχε' ἄπ' ἴκεῳ.

Sanguine cæſariem turpauit, & arma cerebro. Dilectus erat Deo Ioſephus, qui ipſius miſertus, celerrima pulcherrimaque morte eum eripuit potiùs, quàm eduxit è rebus humanis. Moriens autem in illa voce Tyro noſter, hoſtem quidem iniuſtitiæ; dedititios verò ignauiæ, imbelliæque damnauit. Hoſtem, inquam, iniuſtitiæ; quia nulla ſatis iuſta poteſt eſſe cauſa homini Chriſtiano Matrem Eccleſiam oppugnandi. *Condemnat autem*, inquit Sapiens, *iuſtus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs conſummata longam vitam iniuſti. Videbunt enim &c.* Sap. 4.
Dedititios, inquam, ignauiæ; quia nullum debet præmaturum tempus, vel iniquus locus videri pro eâdem Eccleſiâ moriendi. Regulus Horatianus dicebat:

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum?

Et ſubinde:

——— *erit ille fortis,*
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus:

Et Marte Thuſcos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem?

Quàm terribilis autem ſit hoſti miles non timens mortem, docuit Scæuola. In quo tantum fuit inſtar, vt ſolus tam vehementem intulerit terrorem Porſenæ ſua virtute, vt illicò obſidionem Romæ ſolueret, & in Hetruriam retrocederet. dicebat enim: Si cæteri Romani contemnunt vitam vt iſte Mutius, omnino hic mihi moriendum eſt. Confirmat Poëta, qui Hectoris & Æneæ virtuti tantum tribuit, vt caneret:

Hectoris Æneæque manu victoria Graium
Hæſit &c.
Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros &c.

Et ſanè ſi Ioſephus ſimile ſibi commilitium nactus eſſet, hoſtilem aciem vel perrupiſſet, vel perturbaſſet, vel quod vltimum eſt, æternum hoſti terrorem incuſſiſſet. *Theodorus Triuultius* Theodorus Triuultius noſtrâ memoriâ in Belgio, cùm Batavi nocturno aſſaltu Hiſpanos pene oppreſſiſſent, ipſe turmâ ſuâ equeſtri conglobatâ hoſtilem exercitum bis inſtar fulminis traiecit, iamque tertiò inuadebat & peruadebat, niſi tormento campeſtri ingens ipſius pectus hauſtum ante & ruptum, quàm victum fuiſſet. Hæc virtus Hiſpa-

Hiſpano ſaluti, Mauritio Naſſauio ſtupori fuit. Leonides Spartanus trecentis commilitonibus immanem illum Xerxis exercitum perturbauit, & toti Græciæ tantâ virtute ſpem ſalutis & victoriæ morte ſuâ præmiſit. Pyrrhus Epirota, cùm duobus magnis conflictibus Romanos ſuperaſſet, & quidam ſuorum ipſi victoriam gratularetur: ô amice, inquit, ſi tertiò ſic vincimus, funditùs interijmus. Neque poſtilla auſus fuit cum Romanis congredi, & pace petitâ, nec impetratâ retroceſſit. Hoc idem obtinet in naualibus prælijs. Batauj nauigantes cùm iam ad manus ventum eſt, & nauem ſuam circumuentam vident hapagonibus detineri, & nullum ab hoſte ſupereſſe effugium, ſolent funem accenſum martio pulueri admouere, eodemque igne & momento de ſuo & hoſtili nauigio Neptuno Proteruiam offerre. Quod poſtquam ab ipſorum quocunque nomine inuaſoribus animaduerſum eſt, refugiunt cum illis cominùs pugnare, ſed eminùs arces ipſorum ligneas globis terebrant, diſſuuntque; & tam periculoſam prædam malunt mergere, quàm cum illâ

Leonides Spartanus.

Pyrrhus Epirota

Batavi ναυσίκλυτοι ἀνδρες.

Dædaleas tentare vias.

Tam terribile eſt rem habere cum viris obſtinatis vincere, vel mori.

Pulcherrima mors eſt in bello, ait Philoſophus. Et Poëta:

—— *pulchramque petunt per vulnera mortem.*

—— *pulchrumque mori ſuccurrit in armis.*

Pugnaces Galli mortem illam vocant, *lict d' honeur*, id eſt, lectum honoris, diſtinguentes voluntarium & violentum ab inglorio & naturali exceſſu. Poëſis ſanè vtraque producit Heroas ſuos abominantes ſiccum, ſiue exangue fatum. Apud Homerum Achilles timens ſubmerſione in Xantho flumine perire, exclamat:

Ὠ'ς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε τέτραφ' ἄριστος·

Vtinam, inquit, *me Hector interfeciſſet Troianorum fortiſsimus*. Quem locum reſpiciens Latina Siren, producit Æneam ſuum in ſimili diſcrimine exclamantem:

———— *O Danaum fortiſsime gentis*
Tytide, men' Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuaque animam hanc effundere dextra?

Huiuſmodi mortis & virtutis tantus eſt ſplendor, vt etiam hoſtibus ſit admirationi. Nam & hoſtium Strategus inuento & agnito Ioſephi corpore illacrymauit, dolens tantam & tam præmaturam intercidiſſe virtutem; & exuuias nobiliſſimæ animæ compoſuit, & vnguentis delibutas Patri reſeruauit, dicens poſt Turnum & Æneam:

Quisquis honor tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt

Lar-

Largior, & Patri, ſi qua eſt ea cura, remitto.

Fecerant idem antea Hannibal Marcello, Antonius Bruto, & alij alijs. Præmaturè tamen videri non debet deceſſiſſe Ioſephus, imo ſenex: ſiquidem *ſenectus*, ait Scriptura, *venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Non abludit Menander: Sapien. 4.

Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.

Canicies, inquit, *non affert prudentiam, ſed ingenium quorundam natura ſenile eſt*. Tale profectò erat ingenium Ioſephi: nec enim temerè ipſum audiſſes, vel vidiſſes puerile quid dicere, vel facere. *Conſummatus itaque in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum*. Sap. ibid. Expleuit, inquit, tempora multa: nam intra ſextam trieteridem liberales omnes artes attigiſſe, vltra Græcam, Latinam & maternam linguas, Italicè, Hiſpanicè, Germanicè & Sclauonicè loqui; equitare, natare, deſtinata ferire, & cætera omnia exercitia nobilis iuuentutis explere: erat enim quemadmodum de Homero & Platone ſcribit Olympiodorus, & Ioſephus ingenio & manu παναρμόνιος, factus Ioſephus ἑπτάγλωσσος.

ad omnia; quid eſt aliud, quàm compendio ſenectutem attigiſſe? Virilis etiam prudentiæ exemplum dedit, nouiſſimè Bononiam profectus, reſcripſit mihi ſe ſtudium increpandæ teſtudinis, quod non infeliciter auſpicatus fuerat, omne in poſterum abieciſſe: non ſicut olim Alcibiades tibias proiecerat, quòd ſibi oris pulcritudinem deuenuſtarent, ſed quia ſibi nimium boni temporis periret. Rectè; ſtudium enim iſtud cùm non tantùm totum hominem, ſed etiam totam vitam requirat, relinquendum ſanè videtur iſtis, qui non aliunde & aliter ſperant aut volunt viuere. Nouiſſimo prælio nulla in re communi ſaluti defuit, appellandis cohortandiſque militibus Imperatoris, & in pugnâ militis officia præſtitit, ad vtriuſque exercitus admirationem. Non igitur mortuus eſt præmaturè Ioſephus, ſed plenus annorum & gloriæ. Imò non eſt mortuus Ioſephus: viuit enim & viuet in memoria ſeculorum,

Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Id eſt, dum ſtabit Roma, & Romana ſiue Orthodoxa Fides; quod ſanè iuxta promiſſionem
Matth. vlt. ipſius Veritatis erit vſque ad conſummationem ſeculi.

Inter Oracula Chaldaica verſus eſt quidam, qui apprimè mihi viſus eſt Στιφανίτῃ noſtro

non

non ſolùm conuenire , ſed etiam deberi :
Βίῃ σῶμα λιπόντων ψυχαὶ καθαρώταται·
Vi corpus relinquentium animæ ſunt puriſsimæ. Hunc locum Pſellus interpretatur & explicat his verbis: Εἰ τὶς εὐγνωμόνως ἀκούοι τοῦ ῥητοῦ, οὐκ ἐναντιοῦται τοῖς ἡμετέροις δόγμασι. καὶ γὰρ οἱ στεφανῖται μάρτυρες βιαίοις ἀγῶσι τὸ σῶμα λιπόντες, καθαρὰς τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς τετηρήκασιν. Ἀλλ' οὐ τοῦτό φησιν ὁ Χαλδαῖος, ἀλλὰ πάντα βίαιον θάνατον ἐπαινεῖ· διότι φησὶν, ἡ ψυχή; &c. *Qui dictum iſtud,* inquit, *æqua mente auſcultauerit, reperiet id noſtræ doctrinæ non aduerſari. Etenim coronati Martyres, qui afflictionis tempore cum cruciatu corpus reliquerunt, ſuas ipſorum animas luſtrarunt, & puras reddiderunt. At hoc non vult Chaldæus, ſed laudat omnem mortem violentam: eoquod anima quæ corpus cum dolore deſerit, hanc vitam abominatur, & conuerſationem cum corpore odit, contrà cum gaudio ad ſuperiora reuolat. At quæ in morbis animæ corpore hoc naturaliter diſſoluto vitam relinquunt, non admodum ægrè ferunt nutum & propenſionem ſui erga corpus.* Hæc Pſellus. Sed quocunque modo interpretère, videtur Ioſepho non diſconuenire. Nam licet Martyrum non ſit, pugnando mori vel reſiſtendo, tamen veluti ipſi, ſecundùm Pſellum, in tormentis moriendo animas ſuas expiauerunt; ita ſanè Noſter morte illâ violentâ labeculas, ſi quas conferebat, dolore iſto expurgauit vel deterſit.

Ve-

Digitized by Google

Vehementiam huius doloris expreſſit Homerus, qui de quodam ſic moriente:

——————— κεῖτο τανυσθεὶς

Βεβρυχὼς κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης.

——————— *iacebat extenſus,*

Stridens dentibus & puluerem cruentum mordens.

Ibi gloſſula: Βεβρυχὼς, βρυχόμενος, αστώμενος, συντρίβων τοὺς ὀδόντας, ἢ δάκνων. Μεμίμηται δὲ τὸ γινόμενον πάθος περὶ τοὺς βιαθανοῦντας. Εἰώθασι γὰρ τοὺς ὀδόντας βρύχειν. *Imitatus eſt*, inquit, *geſtum illorum, qui vi exiguntur è vita: ſolent enim dentibus ſtridere, fremere, mugire, contrahi, terram mordere.* Secutus eſt Maro non ſemel:

Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit &c.

Magnitudinem breuis illius & extremi doloris expreſſit vterque Poëta. Iam ſi attendamus interpretamentum Chaldæi, qui præfert mortem violentam: eoquod anima, quæ corpus cum dolore deſerit, hanc vitam abominetur, & oderit longiorem conuerſationem cum corpore, cupiatque proinde præmori, ſeu cum Paulo *diſſolui & eſſe cum Chriſto*. Quid conuenientius Ioſepho? Dicebat Rabbi Eleeſar, *Vno die ante mortem agendam eſſe pœnitentiam*. Quod exponens Talmud: *Quia ergo*, inquit, *nempe hodie*

agis

agè pœnitentiam, cùm homo diem mortis ſuæ ignoret, & ita quiſque dies tibi erit proximus ante mortem, vt tota vita ſit continua reſipiſcentiæ meditatio. Sic ſanè vitam ſuam comparabat Ioſephus, vt quotidie paratus eſſet illam deſerere: perpetua mortis meditatio per pœnitentiam, erat ipſi mors continua, & auerſio à corpore: aſſidua frequentatio S. Euchariſtiæ, erat ipſi continua & aliena vita: per iſtud enim diuinum myſterium, vt loquuntur dicta Oracula:

Ψυχὴ μερόπων θεὸν ἄγχει εἰς ἑαυτήν,
Οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη μεμέθυσται·

Anima hominum Deum in ſeipſum conſtringit,

Si nihil caduci obtinens, tota inebriata eſt.

Ibi Pſellus: Τὸ θεῖον, φησὶ, πῦρ ἡ ψυχὴ βιάζεται εἰς ἑαυτὴν διὰ τῆς ἀθανασίας καὶ τῆς καθαρότητος. τότε γὰρ ὅλη μεμέθυσται· τουτέστι, πληροῦται τῆς κρείττονος ζωῆς καὶ ἐλλάμψεως, καὶ οἷον ἐξίσταται ἑαυτῆς· *Ait quod anima in ſeipſam vi compellat ignem diuinum ratione immortalitatis & puritatis: tunc enim tota inebriata eſt, id eſt, impletur præſtantiori vita & illuminatione, & quaſi extra ſeipſam mouetur*. Conuenit igitur vndique Ioſepho ſupradictum Oraculum; proptereaque tenendum, animam ipſius βιοθανοῦντος, morte violentâ & acerbâ occumbentis pro Roma communi Patria, pro communium Sacrorum Rege & ſummo Sacerdote, pro iuſtæ cau-

Digitized by Google

ſæ defenſione, hinc ad Creatorem puriſſimam euolaſſe.

Et hæc quidem hactenus Illuſtriſſime Domine: plura enim de hac re ſcribere neque mihi iucundum eſt, neque tibi neceſſarium. Supplebunt defectum meum conſtantia tua & generoſitas. Repete etiam memoriâ mandata, quæ Ioſepho hinc proficiſcenti dabas, abſenti ſcribebas. Hæc omnia ferè his Sapientis Sirach
Eccl. c. 33. verbis continebantur: *In omnibus*, inquit, *operibus tuis præcellens eſto. Ne dederis maculam in gloria tua:* Ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σου γίνου ὑπερέχων. μὴ δῷς μῶμον ἐν τῇ δόξῃ σου. Quæ verba tranſlata, vel potiùs deſcripta (vt latè probamus in Veſtigijs Linguæ Sacræ &c.) poterat memorare filius tuus ex Homero, dicens:

> Πέμπε δέ μ' ἐς πόλεμον, καί μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν
>
> Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Miſit me, inquit, *Pater ad bellum, & mihi vnicè iniunxit, ſemper præcellere & alios ſuperare.* Flaccus vertit: *ſemper certare melioribus*. Cogita itaque quemadmodum ſuperaſti Euandrum magnanimitate, cùm filium etiam vnicum Pallanta dimitteret ad bellum, debeas etiam ſuperare, cùm mortuum recepit. Euandrum ſanè inducit Poëta, cùm filium dimitteret non ſolùm lacrymantem, ſed etiam animo deficientem:

Hæc

—— *Hæc genitor digreſſu dicta ſupremo* Æneid. 8.
Fundebat, famuli collapſum in tecta ferebant.

Cùm verò mortuum reciperet:

—— *pheretro*, inquit, *Pallanta repoſto*
Procumbit ſuper, atque hæret lacrymanſque gemenſque &c.

Maro deſcribit paternum affectum & teneritudinem; Homerus fortitudinem. Tu qua animi fortitudine filium dimiſiſti, eâdem debes recipere: paruit enim ille non ſolùm tuis mandatis, ſed etiam ſuperauit. Expleuit enim non ſolùm ſtrenui militis munia, ſed etiam Ducis. Primus hoſtem inuadens Turnum repræſentauit:

Ecquis erit mecum iuuenes, qui primus in hoſtem?
En, ait, & iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

Poſtremus, diuerſis iam equis laſſatis, pugnando cecidit tuus

Ioſephus, magnorum haud vnquam indignus auorum.

Illud tandem tecum reputa, ſi anno ſuperiore, Bononiæ morbo deceſſiſſet (erat enim à medicis derelictus) & tibi & ſibi mortuus fuiſſet inglorius: nunc verò compendio generoſæ campeſtris mortis emit ſibi & tibi nomen & gloriam immortalem. Plato voluit tali fatò de- Vid. Cyrill. contra Iulian. lib. 6.

 fun-

functos in poſterum tanquam Genios quoſdam coli, eorumque loculos adorari: Καίτοι φησὶ καὶ αὐτὸς ὁ Πλάτων περί τε τῶν ἄριστα βιῶν ἐλομένων, ἢ τεθνεώτων οὐκ ἀγεννῶς· τὸν λοιπὸν δὴ χρόνον ὡς Δαίμονας γεγονότας, τεθνεῶτας οὕτω θεραπεύσομέν τε καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας. Athenienſes quotannis facto ad eorum monumenta concurſu, qui pro vniuerſa Græcia Marathone primùm in diſcrimen adducti, & qui poſtea contra Xerxis exercitum fortiter pugnarant, vtpotè qui glorioſam mortem obierant, laudes illorum decantabant. Et ſanè vbi & quandocunque erit Chriſtianum nomen & Fides, dicetur legeturque de Scipione Caſtrouillani Comite, & Ioſepho eius vnico, illum pro Roma vitam obtuliſſe, hunc etiam impendiſſe.

Paulus Aemilius Rõ. Finiamus in duplici voto & exemplo. Paulus Æmilius cùm Macedonicum bellum ſuſcepturus Deos rogaſſet, vt ſi pro rebus gerendis calamitas vlla Ciuitati Romanæ immineret, eam potiùs in domum ſuam conuerterent. Id (ſeu voto, ſeu caſu acciderit) quod rogauerat, impetrauit. Cùm enim ex quatuor liberis duos per adoptionem in Scipionum familiam tranſtuliſſet, reliquos, quos apud ſe retinuerat, intra paucos dies amiſit. Nec minùs leniter tulit caſum hunc, quàm fortiter optauerat. Et Tu Illuſtriſſime Domine, licet in Ioſepho non

duos,

duos, ſed omnes filios amiſeris, charitate Patriæ non cedens Æmilio, quotieſcunque Sacris operaturus accedis Altaria, Deum rogas, vt quidquid aduerſi imminet Vrbi Romæ, ſi Ioſephi ſanguine non eſt expiatum, in caput tuum conuertatur.

Tu verò Ioſephe Curtium Romanum & animo & genere & pietate erga Patriam repræſentaſti. Curtius cùm ſeu motu terræ, ſeu qua vi alia forum Romanum medium fermè ſpecu vaſto collapſum in immenſam altitudinem ſubſediſſet, reſponſumque eſſet, re illam tantummodo compleri poſſe, qua Populus Romanus plurimùm valeret: Curtius interpretatus animâ nobili nihil eſſe præſtantius; ſilentio facto, Templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuens, & manus nunc in cælum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigens ſe deuouit: equo deinde quàm poterat maximè exornato inſidens, armatus ſe in ſpecum immiſit: quo facto vniuerſi ciues honoris gratiâ certatim dona ac fruges ſuper eum iniecerunt; continuoque terra priſtinum habitum recuperauit. Et Ioſephus non templa Deorum, ſed Templum Dei viui, quod Montis Iouini vocant, intuens & ipſe armatus equum non in voraginem, ſed in incendium hoc Italici tumultus adegit: nosque

Curtius Rom.

ſuper

Franciſcus Card. Barberinus.

ſuper ipſum cadentem non fruges, ſed lacrymas & coronas congerimus: Eminentiſſimus verò Princeps & Cardinalis Franciſcus S. R. E. Vicecancellarius,

——— *tanti animi & meriti non immemor vnquam,*

Hanc illi non funeream, ſed triumphalem

S. Lorẽzo in Damaſo.

——— *Pyram media in Laurenti Martyris Æde*

Erigit ingentem tedis è virgine cera.

Digitized by Google

— τοῦ σὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.



— dum Pater imperium Romanus habebit.



Digitized by Google

Hæc Pyra Ioſephum non aduret, vel conſumet, ſed tanquam alterum Phœnicem innouabit, immutabitque in glorioſam immortalitatem.

Et iſta quidem tibi Ioſephe cum Curtio erant communia, ſed immane quantum vnâ re diſtinguebaris! ſpe videlicet futurorum bonorum. *Fratres*, inquit Apoſtolus, *nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Hanc certè ſpem non habebat Curtius, ſed neque ſciebat. Quid ergo illum, quid Decios egit in mortem? Nihil aliud niſi amor viſibilis Patriæ & temporalis laudis, teſte Poëta:

Vicit amor Patriæ, laudumque immenſa cupido.

Vel potiùs erat Princeps mundi huius; qui æmulus ſemper & quaſi ſimia diuinorum operum, mirum quantum ante Chriſti aduentum exagitaret, vexaret & perderet miſeros mortales! Impatiens igitur & inuidus tantæ Abrahami obedientiæ, qui filium ſuum vnicum Domino, ſi non actu, certè voluntate ſacrificauit, voluit & ipſe ſibi humanas hoſtias offerri. *Immolabant*, inquit, *filios & filias ſuas Dæmonijs.* Eodem modo Curtius ſe ipſi obtulit. Tu verò Ioſephe non ſolùm ſpe animatus, ſed etiam charitate feruidus, operabaris, quia ſperabas; ſperabas, quia credebas. Et iterum, quia credebas & ſperabas, operabaris bonum, declinans à malo.

Iamque quia quod credebas, vides; quod ſperabas, tenes; charitas verò tua æterna eſt. Memento noſtri & belli huius incendium, ad quod reſtinguendum nuper ſanguinem tuum offudiſti, nunc quali apud Deum potes interceſſione extingue. Sanguis quidem iuſti Abel clamabat ad Deum de terrâ, ſed clamabat vindictam: vocabatur enim tum, *Deus vltionum*; ſed poſtquam

Chriſti immerentis fluxit in terram cruor.

Poſtquam idem docuit inimicos diligendos, pro perſecutoribus orandum, & non ſolùm, ſed & ipſe pro crucifigentibus exorauit; & Stephanus pro lapidantibus; vocatus eſt poſtea idem Deus, non amplius Deus vltionum, ſed *Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis.*

Hæc cùm tu iam clariſſimè videas ò Ioſephe, receptus *εἰς καθαρὸν αἰῶνα*, *purum ſeculum*, vt loquitur Macarius, fieri non poteſt, quin ſanguis tuus pro nobis apud Deum interpellet, ô vtinam impetret pacem Eccleſiæ, concordiam Principum Chriſtianorum, vt ſicuti ſumus eodem fonte abluti, eodem nomine cenſemur, eundem Patrem adoramus, eodem myſtico Pane paſcimur; poſt temporariam hanc pacem, perueniamus ad illam æternam, quam mundus dare non poteſt, ſed ſolus qui illam inhabitat Deus. Ipſi gloria & imperium in ſecula. Amen.

EPI-

Κλῦθί μ' ἀπουρανόθεν φίλον ὦ τέκος, οὐ γὰρ ἐφετμῆς

Ἔνθεν ἰὼν πόλεμόνδ' ἔκλυες ἡμετέρων·

Οὐ γὰρ αἰ, οὐχ ἑτάρων ἐξάλμενος ἐκ τοῦ ὁμίλου

Πρῶτος ἀνὰ κρυερὸν μῶλον Ἄρηος ἔβης.

Ἔνθά σ' ἀριστεύοντ' ἱερῶν ὕπερ, ἥρπαζεν Ἄρης,

Καὶ γὰρ αἰεὶ στρατιῶν πάντα τὰ λῷστα φιλεῖ.

AVdi me Ioſephe iterum, quia caſtra petenti

Vox percepta tibi non bene noſtra fuit:

Non etenim ſocios linquens, non primus in hoſtem

Proruerες nimio laudis amore Puer.

Hic vbi te primò bellantem vidit, amauit

Marspiter: ipſe ſolens optima quæque rapit.

Hoc Princeps tibi Barbrinus Ioſephe trophæum.

Μοῦνος ἐὼν ἀγαπητὲ διέφθορας, ᾧ ἔνι πατρὸς
Ἦσαν ὅλαι, χ' ἡμῶν ἐλπίδες ἐκκρεμέες.
Νῦν δὲ παν-Ιταλικὴν, παγ-κελτῶν γαῖαν ἱκάνει
Σὸν κλέος, ἠδ' αὐτοὺς ἔφθασ' ἐς Οὐρανίδας,
Ὅττι ἀερσείλας ἱερῇ παλάμῃ σὲ καὶ εὐχῇ
ΒΑΡΒΡῖΝΟΣ, θείῃ μίξε χοροστασίῃ.

VNigena ò dilecte peris! in quo omnis & vno
Spes Patris, in quo omnis ſpes ſita noſtra cadit.
Nunc tua & Italiam longè, Gallosque repleuit
Gloria, nunc ipſos pertigit ad Superos:
Nam prece te, ſacraq; manu dum luſtrat & effert
BARBRÎNVS, Diuûm miſcuit Ordinibus.

Sub

Sub Paſtore nouo, veteris noua mœnia Romæ.

PRimi fraterno maduerunt ſanguine muri,
Queis Romam ſæuus Paſtor inædificat:
Aſt noua quæ VRBANI Paſtoris mœnia ſurgunt,
Ioſephi Comitis tincta cruore rubent.
Mœnia dum ſtabunt & Paſtor, in Vrbe canetur:
Hic melior Paſtor, nobiliorque cruor!

Salue æternùm Ioſephe, valeque!

Deflebam potiùs, quàm deſcribebam Romæ Non. Octob. 1643.

Illuſtriſſimæ D. T.

Humilis & deuotus cliens
καὶ θεράπων ἐφέστιος.

Hen. Dormalius Leodien.

Digitized by Google

241

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google